

temporis diuturnitate occlusi perdurant, quanta sufficeret ad insolitarum ac prorsus monstrosarum viarum electionem ac perquisitionem coactam: tamdiu enim Natura utitur viis ordinariis, quamdiu totalis perturbatio abdominis abest. At verò, si potestas vitalis; excretioni dicata, extinguatur, aut enervatur, tunc intestina haud amplius apta sunt, ac imparia, muneri ac officio suo sustinendo. Id quod demùm in semimortuis ac ferè omni vitâ per morbificum virus privatis, e. gr. in Volvulo, quando nimirùm fæces alvi per os ejiciuntur, non verò in ictero, contingere solet. Cæteroquin Color qui magis inclinatur ad flavedinem stercoream, quàm biliosam, utpotè magis tinctam quàm hæc & Spagyricû Examina satis clarè evincunt, urinam tingi à stercore, & ex sapore Canibus, aliisque animalibus non ingrato id ipsum luculenter colligitur, simulque evincitur, contrariam sententiam falsis superstrui